



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suavis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt XIII. Concilij Præsides designati: admonitio pontificis ad Octauium Farnesium denuntiata: Dandinus ad Cæsarem, & Ascanius Corneus ad Henricum missi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11665

1551. nus summi Pœnitentiarij. Sed certè duo priora vt inermia, ita nec formidata.

*I Est in di-
ctis Dandini
mandatis, &
in epistola
eiusdem ad
Bertanum,
16. Maij
1551. & in
alijs eiusdem
litteris.*

Nec faciliores Henricus porrexit aures Nuntio, ¹ Pontificis no- mine illum retrahere connitenti: quin ipsi accidit quod ei contin- gere solet, qui alicui præcipuum adiuventum suppeditauit ad do- minatum obtinendum, amplissimamque sibi remunerationem ceu debitam prætolatur, ideoque ob mediocrem se malè acceptum pu- tet; qui odiosus euadit, ac tandem hostis. Rebatur Henricus, sibi gratias potius à Pontifice habendas, quòd ipse vellet Parmam illi suis viribus vindicare ab occupatione minis à Cæsare intentata, quam Placentiæ iam peregerat. Credidit proinde, Iulium per in- gratam aduersum se propensionem in Cæsarem, restitisse Oratori suo id ipsi Romæ offerenti. Idcirco acerbè respondit, vulgauitque encyclicam epistolam, quâ cunctis Episcopis Galliæ denunciabat, vt per sex menses ad suam quisque Ecclesiam reuenteretur, quòd ea- rum incommoda obseruarent, seque ad celebrandam peculiarem Gallicæ nationis Synodum compararent. Sed iniuria æstuanti ani- mo illata id efficit, quod æstiuæ pluuia, quæ densis è nubibus mi- nitabunda aut leniter instillata calorem auget, nec nisi vbertim profusa reperficit. Potius itaque Iulium, quippe feruentis ingenij, ira quam metus inuasit; non tamen tantum ille concepit iræ, quin studuerit bellum declinare, toleranter ea passurus quæ Parmæ mo- uebantur, dummodò id bonâ Cæsaris pace sibi liceret: sed vbine- cesse foret cum altero inimicitiam suscipere, statuit adhærere Ca- rolo, vt qui in profanis Italiæ rebus, & in sacris Germaniæ Chri- stianæque Reipublicæ, potentior Gallo erat; qui que nihil Pontifi- cem factò læserat, cum Henricus in urbem Ecclesiæ se inuito pe- netrasset. Ita planè res habet: beneficij dulcedo, quo quis ab altero ad principatum euectus est, in bilis amaritiam corrumpitur, vbi ille qui nunc beneficium contulit, tam imperiosè se gerit, ac si habuerit in animo mancipium, non Principem reddere.

C A P V T XIII.

Concilij Præsides designati: admonitio Pontificis ad Octavianum Farnesium denunciata: Dandinus ad Cæsarem, & Ascanius Corneus ad Henricum missi.

*Acta Con-
sistor.*

Pontifex inter suæ ditionis curas Concilij negotium haud omisit. Ideò in Senatu 4. Martij * illius Legatum destinauit (cum adhibere Ceruinum non liceret, nimis à Cæsare in hisce rebus alienum) Marcellum Cardinalem Crescentium Romanum,

in

in quo uti egregiam doctrinam prudentiamque agnoscebat, perinde singulari illum amicitia complectebatur; adeoque iisdem de causis ab eo Legatus Bononiensis fuerat paulo ante delectus, hoc est, per ea dubia tempora ditionis Ecclesiasticae custos. ^b Collegam illi non addidit, tum quod sumptibus aerarum Pontificum parceret, tum quod existimabat, aequalem in supremis arbitris auctoritatem esse perturbationibus obnoxiam: ipsi tamen adiecit, qui consilio & decori essent, duos Praesides ex ordine Episcoporum, & in Concilii functionibus, & in Germaniae negotiis iam expertos, omni que virtutis laude conspicuos, Sebastianum Pighinum Sipontinum Archiepiscopum, & Aloysium Lippomanum Veronensem Episcopum, ^c alterum ab Aula Caesaris, alterum ab Ecclesia Veronensi per litteras accitum: atque hac fortasse ratione crediderat, decus simul & solatium allatum iri uniuerso Episcoporum ordini, suspicionibus agitato in superiori Synodi conuentu, ne quid ipsis Sedes Apostolica derogatum vellet, cum iisdem nunc cernerent, se ad Praesidium sedem ab illa promotos.

² Per eosdem dies libello publico ^d Octauium admonuit: in quo expositis iis omnibus, quae per litteras ac missos homines cum eo Pontifex egerat, ne ille praesidiarios milites vilius Principis Parmam induceret, eidem denuo interdicebat, indicta tum Parmae iactura, tum perduellionis poenam, ne in posterum id faceret, tentaret. ^e Et quamquam spes melior de illius obsequio a Polano Episcopo apud eum degente indicaretur, nec Pontifex desisteret rem agitare cum Farnesio Cardinali, ^f qui & animi studio & utilitatis respectu Caesari addictus credebatur; tamen animaduertens nec Octauium Caesarianorum minis appetitum continere se posse, quin Gallorum praesidio se muniret, neque Gallos opportunitate illectos sibi temperaturos, quin equum ex veteri apologo, praetense eius defendendi titulo, conscenderent, voluit animum suum Cardinalibus aperire, & operam cum Caesare coniungere. Primum praestitit in Senatu, ^g ad quem retulit, apud se statuisse, ad obtemperandum sibi eos armis adigere, quos interdicta non mouerant, simulque Concilium Kalendis Maii resumere. Deceuit ad alterum conficiendum, ut sequestro vteretur, in quo nec fidem, nec prudentiam, nec rerum peritiam desideraret; ipsum Pontificis secretis Praefectum ad Caesarem misit, hoc est Dandinum, quem non nisi remotis arbitris cum eo colloqui iussit. ^h Communicauerat cum Carolo Iulius quae

^b In mandatis illi traditis 30. Maii. ^c Plurima monumenta spectantia ad Dandinum & Iulium, cui hic a secretis fuit, quae infra citabimus, extant apud Herculem Dandinum, qui ea mihi communicauit.

1551.

^b Diarium, 9. Martij.

^c Diarium, 9. Martij.

^d Diarium, 5. Martij 1551.

^e Diarium, 11. Martij.

^f Diarium, 2. & 30. Aprilis.

^g 6. Aprilis, ex Diario.

^h In mandatis illi traditis 30. Maii.

Historia
Concilii Tri-
dentini
Lib. II.
Cap. 13.

1551.

suæ fidei concediderat Cardinalis Ferrariensis, fuisse acerbè conque-
 stum Regem per litteras tum ad se datas, tum ad Turronium Cardi-
 nalem, tum ad Termesium Oratorem Regiū apud Pontificem, quòd
 vellet Julius ipsum præpedire, ne tam præcipuam urbem Italianam,
 adeoq; Ecclesiasticam, tueretur aduersus iniultam Cæsaris aggressio-
 nem, cui par erat, vt quilibet bonus Princeps obfisteret, potissimum
 verò Pontifex, quippe supremus Parniæ dominus; & Gallia Rex,
 quippe Caroli æmulus, & agger vnicus in Europa ad coercendum
 impetum turgidioris Hispanæ potentia. Præterea, sibi non licere
 deesse Farnesius præsentis ope, qui sub ipsius clypeum confugerant,
 & ad quorum tutelam fidem suam obstrinxerat. Proinde purga-
 rent prius apud Pontificem sincerum in hisce rebus animum Regis,
 ei que obsequentis filij reuerentiam exhiberent; sed postea, si opus
 foret, palam facerent, vbi Pontifex tam iniqua de causa Italiae pa-
 cem obturbaret, Regem coactum iri, vt pro sua fide ac dignitate se
 gereret. Adiecit Cardinalis, inter se duosq; collegas conuenisse
 de occultandis Henrici mandatis, donec innotesceret quid Asea-
 nius Corneus, qui Parisios nondum peruenerat, transegisset: inter-
 rim tamen voluisse, tamquam studiosum Pontificis famulum, vt ad
 ipsum id lucis præuerteretur; simulq; per obsequentem audaciam
 eum admonere, magnam esse summorum Principum prudentiam,
 potius subditorum noxas dissimulare, quàm vires in subditos expe-
 riri per incertam aleam periclitantis dignitatis. Huic agendi norma
 sæpius se conformasse tum Iulium II. tum Leonem, tum etiam Cle-
 mentem erga ipsius Octauij Cardinalis parentem Alfonsum, à quo
 auersum animum gesserant; & tamen bellum haud in rem suam ces-
 surum prospicientes, dissimulasse: ita pariter gessisse Paulum
 cum Vrbinatum Principe, quem Venetorum patrocinio munitum
 cernebat, nec aliter agi à Cæsare cum suis in Germania beneficia-
 riis. Significandum insuper Carolo curauit Pontifex, quosdam &
 fideles & prudentes è suo Consilio sibi proposuisse, si Farnesios inter
 macerandos relinqueret, ob quæ prius graues, postea intolerabiles
 subditis euasissent, nec minùs oppressos ponderoso iugo Gallorum,
 qui patronorum nomine ingressi, dominorum inde potestatem
 exercere voluissent, adductum iri ad petendam quasi beneficij loco
 Pontificis & Cæsaris gratiam, per eas condiciones, quibus tunc im-
 peru iuuenili, & immensis aliorum pollicitationibus elati, aures ob-
 struebant. Non faciliorem modò rationem, sed certiorum termi-
 nandi cum æmulo certaminis esse, absque suo incommodo æmu-
 lum

s Litteræ
 Dandini ad
 Bertanum,
 10. Maij
 1551.

lum defatigare; nec ullam bellandi artem ad victoriam magis conducere, quam si festinatio vincendi coërceatur. Verum ea consilia vt animus Iulij, tum ingenio tum sui principatus commodo ad quietem pronum, allegerant, ita bellicosos Caroli spiritus, assuetosque plerumque è bello decus & emolumentum victoriæ sibi decerpere, nihil planè commouerant.

3 Quamobrem in noua Dandini missione ad Cæsarem hæc illi summam præscripta sunt: Ostenderet Carolo, in iis quæ Pontifex egerat, candidissimam animi sinceritatem; quâ virtute quàm plenè gloriabatur, tam erat studiosè de ea sollicitus: Redigeret in memoriam, explicaretque quidquid ad eum vsque diem de re Parmensi actum esset: Exponeret, fuisse Pontificem supra quàm credi posset exacerbatum ob Henrici atque Octauij desperationem; & vbi hic ad obsequium pacificum, quod planè desperabat, redigi non posset, certum sibi ac statutum esse eandem vnâ cum Cæsare aleam subire; ipse, quippe viribus validior, ac belli peritior, iudicium ferret, satiusne foret statim ad vim apertam erumpere, an dissimulatione vti, & adhibere dumtaxat obiurgationes, sententias, & anathemata, tamquam necessaria id temporis, ne per silentium permissio argueretur. Tum quæ ad alteram partem spectabant, exponeret; Esse bellum instar labyrinthi, quem cuique semper ingredi licet, sed ingresso non semper egredi: ab eo sumptus absorberi existimatione prius conceptâ maiores; & fortasse tunc Cæsari tantum pecuniæ non suppetere: timeri posse noua Turcarum molimina, quibuscum Galli, aut animo conficiendi aut specie deterrendi, fœdus agitabant: nec minùs pertimescendam grauem aliquam cladem Concilio, cui pax necessaria videbatur. Si huic bello Cæsar aduiceret animum, haud posse ad aliquid fructuosius in Germania vires conuertere, vbi res nondum plenè compositæ; quod fortasse illud erat, quod Gallus intendebat.

4 Demandatum est etiam Nuntio, vt Cæsarem consuleret de die reponendi Concilij; an opportunius esset rem ad Septembrem protrahere, tum quia interim noua messis subleuasset annonæ caritatem, quæ tunc premebat Italiam, & Præsules ab itineris sumptibus deterrebat; tum quòd lux certior affulgeret de indicta peculiari Synodo Gallicæ nationis, contra quam esset decertandum Tridenti.

In mandatis datis
Ioanni à
Monte Politiano, misso
ad Cæsarem
22. Iunij,
apud Burghesios.

Hæc Dandino mandata.
5 Sed redditis responsis à Cæsare, de Gallis sollicito, & in Octauium irâ succenso, se ad bellum propendere, oblatis amplè conditionibus, Pontifex perhonorificæ significationis officium erga Regem

Pars II.

G g

gem

1551.
 l Vide
 Adrianum
 lib. 8.

gem Gallia præmittendum duxit. Ad illum itaque misit Ascanium Corneum sororis filium, ¹ militari iam tum virtute præstantem, & qui postea inter illustriores Italiae Duces bellicos supremus castrorum magister fuit in vniuersa Christianorum classe, quæ de Othomanno insignem illam victoriam ad Naupactum reportauit. Documenta Iulius Ascanio tradidit Regi communicanda, & priuata quædam monita illis adiecit. Documenta bifariam diuisa Parmam & Concilium complectebantur: prior pars inculcabat, vt Regem edoceret; Positâ beneuolentiâ Pontificis, deuinctoque regis officii animo, quem vel in ipso Senatu professus fuerat, & amore singulari, quem erga Farnesios exercuerat, fieri non posse, vt è Cæsaris hominumque mentibus ea persuasio euelleretur, quâ putarent, Gallos fuisse Parmam ingressos, eisque portas à Farnesiis patefactas, manum porrigente Pontifice; quæ persuasio & dedecus sibi & turbas afferret: hæc tum regis ministris Romæ, tum Regi coram per Nuntium fuisse proposita. Sed præterea, cum summopere cuperet Pontifex cum illo amicitiam retinere, ea de causa nunc sororis suæ filium ad ipsum legare. Quod à Regis ministris adducebatur, nimirum, à Gallis inferri pedem in Parmam ne inferrent Cæsariani, omnino tolli, oblato pro Parma Camerino. Rogaret proinde Regem Ascanius, vel vt Octauium ad obsequium erga supremum ipsius Principem induceret, vel suæ illum libertati relictum aduersus supremum ipsius Principem minimè tueretur. Consideraret Henricus, Octauij pertinaciam pernicioso futuram exemplo tot reliquis Ecclesiæ Beneficiariis. Regem ipse blandè commoneret, noluisse Cæsarem, tamen malè secum actum à Paulo putaret, armatum patrocinium præbere Ascanio Columnæ, quamuis hic, ex familia de Cæsare tam benemerita, à Pontifice fuisset oppidis spoliatus. Conducibilis Regi fore, si Pontificis beneuolentiam illibatam, adeoque Parmam seruaret, quàm si Octauium ac Parmam adeptus Pontificem amitteret, cui necesse foret & suas & alienas vires impendere ad Ecclesiæ urbem recuperandam. Vbi Rex ad hæc neutiquam flecteretur, eum certè rogaret, vt æqui bonique faceret, si Pontifex, inuocata Cæsaris ope, suum in Parmam ius defenderet, ac pro certo Rex haberet, Pontificem nonnisi de Parma cum Gallis certaturum, & fœdus cum Cæsare coniuncturum.

Alterâ documentorum parte iubebatur Ascanius Regem cohortari ad fauendum Tridenti Concilio, suis Oratoribus eò missis, simulque ad declarandum, suæ mentis non fuisse, vt per edictum suis Episcopis illuc accessum prohiberet; admoneretque, à Christiano

stiano Principe nec quidquam deterius contra Deum, nec Ecclesiæ perniciosius committi posse, quàm Oecumenicę Synodi progressum turbari, hoc est, efficacissimi adiumenti inter ea omnia quæ ad incolumitatem Ecclesiæ Deus instituit. Hæc in documentis.

1551.

7 Monita priuatim Ascanio data, duo fuere. Alterum, vt se citò expediret, neque pateretur detineri se verbis ambiguis, donec Parmenses messem maturescentem collegissent. Alterum, ne Gallis assentiretur, si quid agerent de obligando quasi per acceptum pignus Pontifice; quod vt violentum, perinde nec ex animo factum, nec diuturnum foret: satis illis esse debere amorem candoremque præteritum, ^m quem in Pontifice experti fuerant.

^m In mandatis Montis Politiani.
ⁿ Vide Adrianum lib. 8.

8 Ac prudenter quidem præmonuit Pontifex, cunctationem à Gallo quæsitum iri, quò ^a Parmensibus commoditas metendi colligendique fruges pararetur. Etenim postquam opera data est, vt per egregia humanitatis argumenta, sed spe generatim adiectâ, Ascanius sopiretur, Rex animaduertens, eum ad discedendum paratum, ita per libellum respondit, mandatis Pontificis ipsi ostensis; A se ad Pontificem certum hominem allegatum iri. Hic Monlucius fuit, qui postea famâ inclaruit, tum ob Senarum defensionem, eo ipsi honestiorem quò magis improspere, tum ob relicta posteritati monumenta rerum in militia ab eo gestarum. Is Romam venit, sed nihil ea de re cum Pontifice est collocutus; quin ab eo interrogatus, excusationem præterdit, quam infra narrabimus. Scilicet semper Principes lentè procedunt in adimenda alij Principi spe, valido quippe nexu, quo sibi vinctum detinent eum qui conditione liber est, & quo nexu qui vincitur, rarò solers est suis se manibus exoluere.

C A P V T XIV.

Accedunt Præsides ad Concilium, & quo ordine ac ritu. Celebratur Sessio, prorogatis ad Kalendas Septembres Decretis.

1 **H**Æc discordiæ cum Gallis indicia non retardarunt Iulium, sed potius impulerunt ad Synodum aperiendam. Itaque destinavit iterum Concilij secretis Massarellum, ^a virum & peritum & probatę fidei, eumque iussit mutatis equis eò festinare, ^b & Bononiã transeuntem agere cum Crescentio Legato ibi commorante, eique significare; Si per responsa Cæsaris ad Dandinum haberetur, velle Carolum absque dilatione Synodum inchoari, Legatus Tridentum pergeret; sin mallet Cæsar ob Germanorum commodum cunctari, Bononiã persisteret: sed Synodi per duos Antistites

^a 15. Aprilis, ex Diario.
^b Vide Diarium, diē 12.

G g 2

Præsidi-